



# The Holy See

---

BENEDICTVS XVI

*EPISTULA DATA*

*LEONARDO S.R.E. CARDINALI SANDRI*

*PRAEFECTO CONGREGATIONIS PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS*

*Venerabili Fratri Nostro*

*Leonardo S.R.E. Cardinali Sandri*

*Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus*

Romani Pontifices Decessores Nostri, ut plane liquet, per saeculorum decursum, fraterna caritate et sollicito studio Orientalium Ecclesiarum Patriarchas cum beati Petri Sede plenam communionem habentes prosecuti sunt.

Cum vero laetum nuntium sit Nobis allatum Suam Beatitudinem Bechara Petrum RAÏ, nuper Patriarcham Antiochenum Maronitarum electum, antiquum morem secutum, a Nobis petere ut haec plena ecclesiastica communio cum Sede Romana confirmetur, Nos, cupientes dilectionem Nostram, existimationem et animi affectionem illi ostendere, vellemus quidem una cum eo Eucharisticam oblationem celebrare.

Te, Venerabilis Frater Noster, qui scite naviterque Congregationi pro Ecclesiis Orientalibus praees, Delegatum Nostrum nominamus, qui in Basilica Papali Sancti Petri Nostro nomine cum venerabili Patriarcha sacram Synaxim in signum constitutae ecclesiasticae communionis celebres, eum debito honore suscipiens eique Nostram fervidam salutationem referens. Dum denique Suae Beatitudini fraternali rependimus sacrum osculum, Praesulibus Maronitis, Episcopis, clericis et omnibus sacro ritui interfuturis Aposto-licam Benedictionem impertimur, supernorum munerum conciliatricem ac signum Nostrae dilectionis in Christo Domino.

*Ex Aedibus Vaticanis, die VIII mensis Aprilis, anno MMXI, Pontificatus Nostri sexto.*

**BENEDICTUS PP. XVI**

© Copyright 2011 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana